



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De morbo epidimiæ seu pestis. tit. 249

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

bet facere pietatis opera, quarum præmium erit in futuro sæculo. Sic calligat corpus. Nam sperat & quotidie orat sibi aduenire regnum Dei, Matthæ. 6. Sic sustinemus imagines, ædificamus Ecclesias, habemus honesta sepulchra, & clypeos, arma, memorias defunctorum, & cætera. Sed cum hæc omnia parui habent hæretici, signum est, quia de futura vita dubitent, & cæt.

DE MORBO EPIDIMIAE
seu pestis.

TITVLVS CCXLIX.



NOTANDVM primò, quòd pestis Epidimiae accidit aliquandò ex speciali Dei ordinatione ad peccatorum punitionem, vel iustorum probationem. Aliquandò ex causis naturalibus, vt ex corruptione aëris, &c. frequentius tamè ex utroque, quia Deus elementis vtitur & creaturis in nostram punitionem, sicut inquit sapiens, 5. cap. Armabit creaturas contra nos. Primùm patet Leuit. 26. Numer. 14. Deute. 28. Et pluribus alijs scripturæ locis, in quibus minatur Dominus pestilentiam transgressoribus legis suæ.

Secundò, pœnæ à Deo inflictæ, sicut & ira Dei, possunt mitigari per vitæ populi emendationem, & humilem ac deuotam Dei innocationem. id patet 3. Reg. 8. ex oratione Salomonis: Fames aut pestilentia si oborta fuerit, aut corruptus aer, & cæt. Et 2. Reg. vi. primo, ex oratione Dauid, quandò mortui sunt de populo in tribus diebus 70000. millia virorum. Sic dicit Sirach Ecclesiast. 38. Fili, in infirmitate tua nede- spicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Sic Christus sanat filiam Chananeæ, Matt. 15. seruum centurionis, Matt. 8. paralyticum Matt. 9. &c. Et inquit: Cæci vident, claudi ambulant, & c. Matt. 11.

Tertiò, Causæ naturales impediri possunt in

luis actionibus, per contrarij adhibitionem, sicut ignis extinguitur aqua, & per subtractionem combustibilem. Quoniam ergo & Deus creauit medicinam, Ecclesiast. 38. Altissimus de cœlo creauit medicinam. Nam virtutes curatiuas in creatione indidit herbis, lapidibus & cœt. Ideo non est spernenda medicina. Subindè, quoniam non est nobis certa voluntas Dei an velit me hoc morbo mori, vel non: Ideo licitè bona conscientia possunt vti medicinis, & occasione fugam meditari, ad conseruationem vite, modò hæc medicina aut fuga non sit contra Deum, aut charitatem proximi.

Quartò, Augustinus de doctrina Christiana inquit: Quatuor sunt diligibilia. Vnum, duod supra nos est, id est, Deus: Alterum, quod nos sumus, id est, anima propria: Tertium, quod iuxta nos, id est, animam fratris: Quartum, quod infra nos, id est, corpus, tam nostrum quàm proximi. Primò, Si quis certò sciret Dei voluntatem, se moriturum, debet se offerre ex Dei dilectione, obedientiæ, & dicere, Fiat voluntas tua. Secundò, animam, id est, vitam propriam: idè debet Dominum rogare pro vita, aut vt sua fiat voluntas, Matth. 6. Sic Paulus Philip. 2. Cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius, &c. Sic de S. Martino legitur. Ideò sub conditione pro anima propria orare poteritis. Tertio, pro anima fratris. Sic qui est pastor, non potest fugere ab ouibus tempore pestilentia, quia tenetur animam suam ponere, id est vitam, pro ouibus, Ioan. 10. Subindè, quod magis diligenda est anima proximi, quàm corpus proprium. Sic etiã peccant, qui abijciunt è domibus familiã infectã: Et hoc maximè, si non habent vndè sustententur, Gala. 6. Alter alterius onera portate. Quintò, Visitare infirmos hac peste infectos, est opus virtutis, & magni merit, quia cū maiore difficultate perficitur,

NNa 2 propter

propter quod & martyrium est maximi meriti & perfectionis, & hoc perficitur præceptis, Ioan. 1.1. Ioan. 3. Christus pro nobis posuit animam suam, & nos pro fratribus nostris, &c.

Sextò : Hæc tria tempore pestilentia sunt facienda. Primò, nos per confessionem purgemus, & reconciliemus cum Deo per conuersionē interiorem, Mar. 1. Pœnitementi, & cæt. Secundò, vt offeramus nos Deo obedienter, vel ad viuendum vel moriendum, Mac. 16. Fiat voluntas tua. Tertio, cū timore Domini præseruatiua remedia quæramus, & hoc propter Dei ordinationem de medicina, Eccle. 38. Sic Esai. 38. Et iussit Esaias, vt tollerēt massam de ficis, & cataplasma rent super vulnus eius, & sanaretur, 4. Reg. 20. Affert massam ficorum &c.

DE VLTIMO IUDICIO DEI.
TITVLVS CCL.

Questio. Postolus Hebr. 9. dicit, statutum est homini semel mori, post hoc autem, iudicium, scilicet extremum fiet, in quo iustus Iudex Christus præsidebit, 2. Timo. vlt. Et cuiq; dabit iuxta operâ sua, Mat. 16. & 1. Petr. 1. Et dicitur iustus iudex, quoniam solus ipse secundum veritatem iudicat veram, id est, verus sine omni dolo iudex : Ille solus est, qui falli non potest, & quem nullus effugiet. Hoc iudicium dicitur vltimum, quia finis omnium iudiciorū & complementum. Nam quicquid in alijs neglectū est iudicij particularibus ab initio mundi, in hoc iuste discutietur. Sic Christus constitutus est iudex viuorum & mortuorum, Acto. 10. Et de hoc iudicio tota scriptura loquitur. Ad hoc iudicium appellat omnium piorum conscientia, qui iam sunt in pressura mundi, de quo dicitur Sapien. 5. Stabūt iusti in magna cōstantia &c. Secundò,